



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Denunciationis Form XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

biliter in excommunicationem majorem contentam in *c. quoniam de immun. Eccl.* in 6. & in Processu Bullæ Cænæ *can. 13. 14. & 16. Papæ reservatam* & ideo esse denunciandum excommunicatum, prout denunciari volumus, *Cedulones* decernimus, & relaxamus, & affigi mandamus, omni &c.

N. Judex Delegatus Apostolicus.

N. Aduarius.

S U M M A R I U M .

- | | |
|--|---|
| <p>1 Impediens executionem litterarum Apostolicarum excommunicationem incurrit.</p> <p>2 Quis dicatur impedire ostenditur.</p> <p>3 Qui attentat impedire, & postea ab impedimento desistit, non incurrit quia non punitur affectus, sed effectus.</p> <p>4 Quæ expeditiones veniant sub nomine litterarum Apostolicarum ostenditur, & num. 5. & 6.</p> <p>7 Delegatus, tenetur in citatione inserere tenorem suæ delegationis, alias citatum non ardeat ad comparandum.</p> <p>8 Excommunicatus à Delegato Papa, eo mortuo, absolvi non potest nisi à delegante, vel successore delegati.</p> <p>9 Episcopus censuras non reservatas, non potest Papæ reservare in præjudicium metropolitani, cui manus ligare non potest.</p> <p>10 Referuntur versus, quibus exprimitur casus in Bulla Cænæ contenti.</p> | <p>11 Arma tradens infidelibus pro redemptione captivorum in modica quantitate, non incurrit censuram Bullæ.</p> <p>12 Bannientes Episcopos ab eorum Diocesis, nisi sequatur effectus, censuram Bullæ, & penas <i>clém. x. de pæn.</i> non incurrun.</p> <p>13 Judices laici sequestrantes fructus Beneficiorum incurrun censuras Bullæ. Christus est Dominus honorum Ecclesiæ, Papa Administrator, Judex laicus, qui sequestrum removere recusat, est declarandus excommunicatus.</p> <p>14 Delegatus Papæ potest ubique suam jurisdictionem libere exercere.</p> <p>15 Merus executor Apostolicus excommunicare non potest.</p> <p>16 Ordinarius non potest cedulones extra propriam Diocesim publicare, & affigere in forma authentica sine licentia Ordinarii loci.</p> <p>Ordinarius loci requisitus ab excommunicante, tenetur excommunicationem publicare.</p> |
|--|---|

Denunciationis.

F O R M U L A X I V .

HIC auctoritate Apostolica delegata declaratur, & denunciatur excommunicatus excommunicatione majori SS. D. N. Papæ reservata N. ex eo quia litteras Apostolicas in forma Brevis per N. impetratas, & in forma authentica coram nobis Judice Delegato exhibitas, super introductione, & cognitione Causæ, de qua in actis inter ipsum impetrantem, & N. vertentis, publicari, & parti intimari, aliisque, quibus interest notificari prohibuit, & introductioni, & cognitioni Causæ prædictæ auctoritate sua, qua contra libertatem, & jurisdictionem Ecclesiæ damnabiliter abutitur, impedimentum dedit. Quare ut tanquam excommunicatus ab omnibus vitetur præsentibus publicari iussimus.

& ta-

& talis existat, donec Ecclesie, & parti integrè satisfecerit, & à Sede Apostolica meruerit absolutionem obtinere. Datum &c.

N. Judex Delegatus Apostolicus.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

Con autorità Apostolica delegata, si dichiara, e denuncia scomunicato di scomunica maggiore riservata al Sommo Pontefice N.N. perche havendo N. impetrato le lettere Apostoliche di delegatione in persona nostra sopra l'introduzione, e cognizione della Causa... tra esso impetrante, & N. vertente in seconda istanza, hà impedito, che le dette lettere Apostoliche non siano intimate alla parte, nè notificate ad altri interessati, e che non sia avanti di Noi Delegato, introdotta, e conosciuta la detta Causa, abusandosi con tal dannabile maniera della sua autorità, contro la libertà, e giurisdizione della Chiesa. Che però accioche, come tale sia da tutti fuggito, si sono publicati i presenti Cedoloni, e starà così scomunicato, sin tanto che haverà sodisfatto intieramente alla Chiesa, & alla parte, & ottenuto dalla Sede Apostolica l'assoluzione, Dato &c.

N. Delegato Apostolico.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Actuarius.

ADNOTATIONES.

EX QUIBUS CONSTAT DE IMPEDIMENTO. Antequam procedatur ad declaratoriam, debet constare Judici delegato de impedimento præstito executioni litterarum, qui autem illud præstat, nè impetrans litiget aut conveniat colligantem coram Judice Ecclesiastico, non solum incurrit censuram d. c. quoniam de immunit. Eccles. in 6. sed etiam aliam contentam in Processu Bullæ Cœnæ can. 13. & 16. quia indirectè impedit, nè dicitur Judex jurisdictione utatur, Ricc. prax. rer. for. Eccles. par. 5. prax. crim. imped. execut. litt. Apostolic. resol. 3. Dicitur autem impedire, qui litteras publicari, intimari, fidem de illarum intimatione, & executione da-

ri prohibet, sive auctoritate publica, sive privata, ut de magis communi contra Graff. dec. aur. part. 1. lib. 4. cap. 18. n. 121. tenet Bonaccin. densur. Bull. Cœn. disp. 1. q. 16. punct. 2. num. 3. & 9. Item, qui acta confici, aut confecta tradi prohibet, vel partes, Notarios, & exequentores litterarum Apostolicarum carcerat, detinet, ejicit à loco, aut bonis spoliat, Ricc. ubi sup. in prax. crimin. execut. litter. Apostol. resol. 1. per tot. Bonaccin. ibi 3. n. 8. Quia autem attentat impedire, & postea ab impedimento voluntariè desistit, non dicitur impediisse, cum in hac facti specie, non puniatur affectus, nisi sequatur effectus, ut in puncto respondit Ricc. dec. 320. part. 3. num. 1. & per tot. Et est regula generalis, quod affectus seu conatus ad delinquendum, de generali

rall consuetudine non puniatur pœna ordinaria, etiam in atrocissimis. Concil. in addit. ad resol. crim. resol. unic. man. 1. & per tot.

DD. Litterarum, Sub nomine litterarum Apostolicarum, quæ cadunt sub Bulla, non solum veniunt bullatæ, quæ per viam Cancellariæ Apostolicæ expediuntur, de quibus non est dubium, sed etiam Brevia subsignata à D. Secretario Brevium sub anulo Piscatoris, vel à Cardinali Præfecto Signaturæ Justitiæ, ac Correctore minutarum contradictarum nuncupat. juxta formam prescriptam Bullæ Pii V. la 90. bullar. tom. 2. nam hæc habent eandem virtutem, & sunt veræ litteræ Apostolicæ, Gonzal. ad regul. 8. glos. 59. numer. 16. Tondut. tom. 1. resol. benef. part. 2. cap. 4. §. 1. n. 4. plene Rol. de execut. litter. apostol. part. 2. cap. 1. n. 1. 10. 12. & 13. Cherubin. in comp. Bullar. ad Const. 19. Gregor. XIII. Schol. 1. Card. de Luc. in relat. cur. dis. 7. num. 8.

5 Item litterarum Apostolicarum nomine, veniunt litteræ Pœnitentiariæ, quæ expediuntur a summo Pœnitentiaro tanquam Delegato Papæ, & cadunt sub d. Bulla, ut clarè habetur ex Constit. Julii III. Rationi congruit la 1. §. 3. Bullar. tom. 1. Item litteræ Sacri. Congregat. Concilii quæ de mandato Papæ scribuntur cum obligatione ad illas executioni mandandas, & observandas, etiam si subscribantur à Cardinali Præfecto: quia tali casu Cardinales sunt Judices delegati à Papa non solum ad declarandum, verum etiam ad jus dicendum: secus de aliis litteris, & decretis ejusdem Congreg. quibus simpliciter locus Concilii declaratur, & explicatur, ut distinguit Bonaccin. de censur. in bull. cœn. dis. 1. q. 14. punct. 1. n. 23. quem sequitur Guazzin. jun. ad defens. anim. lib. 2. def. 7. cap. 54. n. 17.

6 Nec non Brevia Indulgentiarum: habent enim requisita litterarum Apostolicarum, Card. de Luc. in relat. Cur. de disc. 7. num. 15. & 16. & proinde, qui illa publicari prohiberet sine suo assensu, & nisi certo pretio soluto, censuram Bullæ Cœnæ incurreret, ut habet in litteris Processus Pauli III. constit. 10. Bullar. tom. 1. §. 10. ibi -- nec non qui ne litte-

ris & mandatis Sedis Apostolicæ gratiam, vel justitiam concernentibus &c. non nisi habito primò eorum beneplacito, & assensu parcatur per eorum litteras executoriales, vel alias nuncupatas, & certo pretio soluto, & advertit Navarr. consil. 39. num. 2. & 3. de sent. excom. Prædictarum autem litterarum Apostolicarum falsitas, sive suspicio falsitatis, solet desumi ex illis verbis, qui referuntur a glos. in c. licet de crim. fals.

Forma stylus, filum, membrana, littera, sigillum,
Hæc sex falsata dant scripta valere publicum.

Cum insertione litterarum. Hoc dicitur in declaratoria ad indicandum, quod delegatus, tenetur per insertionem litterarum delegationis, ostendere citato, se esse talem, qualem se facit: alias enim si in citatione, copiam delegationis non inferet, illum non arctaret ad comparandum, quia non tenetur citatus credere simplici assertioni, Lelius Zecch. de republ. Eccles. cap. 22. de judic. delegat. n. 13. vers. 5. Rol. de Executor. lit. Apostol. par. 2. cap. 6. numer. 2. & 3. ubi de communi testatur.

Papæ reservatam. Licet censuram super prædicti cap. quoniam de immunit. Eccles. in 6. non sit reservata, sed a Delegato, possit absolvi recepta satisfactione: nihilominus quia impediens executionem litterarum Apostolicarum novo jure incurrit aliam Censuram Bullæ Cœnæ, ut præmissum est, a qua solus Papa absolvit, idè ad eum remittitur absolvendus. Quod servandum esset etiam in casu, quo Delegatus per suam sententiam aliquem excommunicasset: nam si moretur, nemo excommunicatum posset absolvere, nisi ipse Papa, vel Successor Delegati, si Causa commissa esset v. gr. Episcopo intuitu Dignitatis (quæ nunquam moritur) non personæ: cum enim Successor ejus, in Dignitate, succedat in onere, & honore delegationis, juxta c. quoniam 14. de offic. deleg. potest etiam absolvere excommunicatum a Delegato ejus antecessore, Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 31. num. 79.

Si autem Episcopus non delegato, 9
sed

sed jure suo ordinario aliquem excommunicaret, & absolutionem excommunicationis Summo Pontifici reservaret (prout quendam Episcopum fecisse, & me vidisse recordor) posset Archiep. Metropolitanus in casibus a jure ei permisis, absolutionem excommunicato elargiri: nam nequivit inferior per talem reservationem manus ligare, & præjudicium inferre juribus sui Superioris; prout ex *Novar. qu. for. 66. lib. 1. tradit Ricc. collect. 2588. ver. & quod inferior.* ipse tamen Suffraganeus, non posset amplius excommunicatos absolvere: quia per talem reservationem juri suo renunciasset, & manus sibi ligasset: *Novar. d. 9. 66. n. 1. & 13.*

¹⁰ Coeteri verò casus, qui cadunt sub d. Bulla, & Papæ reservatione, continentur his versibus.

Hæretici, a Papa appellans, cum Fure Pirata.

Augens Vectigal, aut Breve falsificans.

Hostibus arma ferens, Victum, quive amovet Urbe.

Quos Papa, aut pietas, aut sua Causa ciet.

Præsulibus gravis, ad laicum spectantia Sacrum,

Sit Reus, aut Judex, qui trahit acta fororum.

Prælati, Ecclesiæve usurpans jura, onus & qui

His statuit, capitis noscit eosque reos.

Sedis Apostolicæ Terras quique occupat atrox:

Hos omnes Domini Cœnæ Anathema ligat.

¹¹ Quæ actiones diffusius explicantur a DD. qui in eam Bullam scripserunt: hic autem hæc tria minuta collige, primò ex actione ibi -- *Hostibus arma ferens.* Quia sæpè contingit in Provinciis, & insulis proximis, & conterminis locis Turcarum, fideles in captivitatem duci, & liberari non valent, nisi ultra conventam pecuniam, bellica etiam instrumenta, & arma tradantur: quæsitum fuit ab Episcopo Jadrensi, an iste casus comprehensus remaneret sub prohibitione Bullæ: & pro non comprehensione valdè urgebat,

quod majus commodum sentirent Christiani ex redemptione, quam damnum ex delatione armorum in modica quantitate: præsertim cum armorum traditio non fieret in odium fidei, aut lucri causa, sed ex mera necessitate redemptionis, quæ fieri permittitur delata pecunia, licet ista inter prohibita primum locum obtineat: & proposito dubio: *An vendentes, & deferentes arma cum hoc solo fine redemptionis captivorum, incidant in casum Bullæ?* Sac. Congr. Concilii die 1. Decembris 1696. respondit. *Negative, dummodo modica interveniat quantitas, & aliter redemptio fieri non possit.*

Secundò ex actione ibi -- *Præsulibus gravis:* Comprehenduntur hic ejicientes, & bannientes Episcopos ab eorum Diocesis, vel mandantes hoc fieri, qui non solum d. Bullæ censuram incurrunt, sed per *Clementinam 1. de pen.* eorum filii per lineam masculinam usque ad secundam generationem, inhabilitantur ad consequenda Beneficia. Verum nec censuram Bullæ, nec pœnam Clementinæ mandantes incurrunt, nisi sequatur effectus, ut de prima docet *Sayr. de censur. lib. 2. cap. 15. num. 9. & seqq.* & de secunda *glos. in d. Clem. verb. mandaverit & declaravit.* Congr. Conc. in *Majoricen. 22. Sept. 1696.*

Tertiò ex actione ibi -- *Ecclesiæve usurpans jura:* hic comprehenduntur laici sequestrantes fructus Beneficiorum, tam mandantes, quàm Ministri exequentes, *Bonaccin. in Bulla Cœnæ disp. 1. quæst. 18. punct. 3. num. 8. & 9.* sapit enim impietatem quandam asserere, quod fructus Beneficiorum, subjaceant potestati laicorum, ut inquit *Navar. consil. 3. num. 1. de immunit. Eccles.* nam Christus Jesus est verus Dominus bonorum Ecclesiarum, Papa autem summus Administrator, ut ex Concilio *Lateranen.* sub *Leone X.* habito, definitum habetur, quod *Navar. allegat ibid. num. 3.* eisdemque si secus faciant, apud Deum se Sacrilegii reos constituere, ex *Agobardo,* comprobatur *Spondan. in Epitom. ad annum 823.* & sæpè alibi: ideoque si Judex laicus, qui sequestrum concessit, ab Ordinario monitus pro revocatione, nollet illum revocare; erit tunc con-

contra eum procedendum ad declaratoriam Censurarum d. Bullæ S. Congreg. Im-
mun. in Alexandrina 16. Julii 1627. lib. 1.
Dec. Paul. pag. 55.

74 *Cedulones decernimus.* Judex Delegatus a Papa, non tantum habet potestatem cognoscendi, & decidendi Causam sibi absolutè delegatam, sed etiam exequendi, vel alteri in loco, in quo fuit delegatus executionem committendi, eosque qui resistunt puniendi, *text. est in cap. significasti 7. de offic. Judic. deleg. & sic potest libere Cedulones relaxare, & publicare, & censuris suam jurisdictionem vindicare* Ros. de execut. litter. Apost. par. 2. cap. 6. n. 7. Pirhing. in jus can. lib. 1. n. 29. & trib. seqq. Sacr. Congr. Episc. in Cusentina

75 18. Decembr. 1699. Quidquid fit de mero, & nudo Exequutore sententiæ, sive gratiæ, cui sola exequutio est commissa, qui partes Judicis sibi vindicare nequit, ut advertunt DD. mox citati, & fusius examinat Navar. tom. 3. comment. ad cap. cum contingat de rescript. §. Secunda nullitas n. 25. & seqq. ubi quod executor merus Apostolicus excommunicare non possit, nec eum posse uti clausula--*Contradictores Ecclesiastica censura compellendo*--Et quidquid fit de executione Sententiæ Ordinarii alterius Diœcesis, qui illam exequi,

nec Cedulones in forma authentica in alieno territorio, seu Diœcesi affigere, & publicare non potest, sine licentia Ordinarii loci, ut probat Card. de Luc. *miscellan. disc. 22. n. 5.* sed hunc, litteris subsidialibus requirere debet, & excommunicationem ei notam facere, Graff. *const. lib. 5. part. 1. conf. 2. nu. 3. de excom.* Hic tamen habita notitia excommunicationis per litteras subsidiales, debet in sua Diœcesi excommunicationem publicare, absque eo quod valeat cognoscere, an bene, vel male judicatum, ut docet Piassec. in *prax. par. 2. cap. 4. art. 13. n. 30.*

De excommunicatione ferenda contra in c. quod in dubiis de sent. excom.

Non semel accidit, quod homines in superbiam elati (& in c. quoniam multos 11. quest. 3. non comprehensi) clavibus, & potestate Ecclesiæ contemptis, communicent scientur cum pulicè excommunicatis; & cum hoc à Præsulibus non sit tolerandum, ideo si adhibitis prius Paternis monitionibus, non prodest ut hi resistant, non parcat abscissio; & præmissa canonica monitione, procedatur ad declaratoriam sequentem.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XV.

Visa relatione nostri Promotoris Fiscalis, & informatione capta, & desuper communicatione N. rùm locutione, rùm mensa scienter, cum B. publicè, & solemniter excommunicato (cui nullum familiare obsequium de jure præstare tenetur, visa monitione canonica contra eum exequuta, ut abstineret à participatione, sub pœna excommunicationis majoris, quia parere detractat, & ex hoc d. excommunicatus, *fortius indurescit*, statuimus eundem participantem (vel participantes, si sint plures) *consimili damnare censura*: prout per præsentem nostram sententiam declaratoriam ipsum N. excommunicamus, & excommunicatum declaramus, Cedulones contra eum decernimus, & relaxamus, & publicè denunciari volumus, & mandamus omni &c.

N. Episcopus; sive Vic. Gen. N.

N. Actuarius.